



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Fortitudo in vincendis difficultatibus. Miscellanea.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

In manu eius trulla camentarij. Amos 7. 7. Symmachus, Syrus, & Sept., pro trulla vertunt *adamantem*. S. Hieronymus hic. Adamas sui nominis lapis est, quem nos indomitum possumus appellare; eò quòd 1. nulli cedat materia, nè ferro quidem: nam, si ponatur super incudem, & gravi ictu feriat mallei; antea incus, & malleus, accipiet vulnus, quam adamas conteratur. 2. Cum ignis omnia domet, & universa metalla consumat, reddit adamantem duriorē. 3. nullā limā imminui potest; sed è contrario limam terit. Corn. hic.

Summus Pontifex in pectore gestat Crucem adamantinam, etiam dum celebrat: quia summa in eo requiritur tum patientia, tum fortitudo; in tuenda fide contra hæreticos. Cornelius in c. 3. Ezech.

Adamantis virtutem invictam, & contemptricem duarum violentissimæ naturæ rerum, ferri, & ignis, docet Plinius l. 37. c. 4.

Videat: *Equanimitas. Difficultas. Magnanimitas. Virtutes Cardinales.*

S. II.

Fortitudo in vincendis difficultatibus. Miscellanea.

Spiritus Domini induit Gedeon. Judic. 6. 34. Chald. *Spiritus fortitudinis, qui à Domino proficitur, induit Gedeonem.*

Hic spiritus instar vestis erat, à frigore metus protegens. Jonghen Exh. 7.

Exultavit ut gigas. Pf. 18. 7. Hier. de fortis. S. Cyprianus in c. 1. Hic est familiare Scripturæ gigantes appellare eos, qui sunt robustissimi. Significat gigantis appellatio hominem illum, qui summum spiritualis fortitudinis fastigium sit adeptus. Procopius.

En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel. Cant. 3. 7. Variab. *Sexaginta heries ex heroibus Israel.* Syr. gigantes.

Terribilis ut castrorum acies ordinata. Cant. 6. 3. Fortitudo Ecclesie, ac animæ piæ, oritur ex ejus pulchritudine: ideo enim terribilis est hostibus, quia decora est sicut Jerusalem; id est, sicut visio pacis. Cornelius hic.

Super hoc laudabit se populus fortis. II. 25. 3. Sanctorum scilicet, & electorum; qui fortiter se, suasque cupiditates, Mundi illecebras, & dæmonis tentationes, superarunt. Cornelius hic.

Christianorum virtus propria, vera fortitudo est; quæ apparuit in Apostolis, & Martyribus; & apparere continuò debet in veris Christi sequacibus. Cajetanus in Luc. 1.

Vires corporales Deus dat bestiis; animi verò fortitudo hominibus est propria; quæ consistit in adversis magnò animò perferendis. Stella p. 1. c. 32.

TITULUS XV. FORTUNA.

Verte impios, & non erunt. Prov. 12. 7. Cajetanus: converte rotas fortunæ impiorum; ut conversâ rotâ impij, qui in culmine consistebant, deorsum volvantur in imum: & videbis eos jam non esse; utpote depressos, ac fortunis, honore, gradu; tandemque ipsâ vitâ privatos, & everfos.

Benedicite frigus, & æstus Domino; benedicite noctes, & dies Domino; benedicite lux, & tenebræ Domino. Dan. 3. 66. &c. Cur, ad communes Deo laudes concinendas, advocantur res tam pugnantēs, & mutuo infestæ, quàm sunt calor, & frigus; nox, & dies; lumen, & tenebræ? Causa ea fuerit, quam insinuat Clemens Alexandrinus l. 3. Strom. sicut Mundus componitur ex contrarijs, nempe ex calido, & frigido; ita etiam ex ijs, qui dant; & ex ijs, qui accipiunt. Monent Sancti pueri, ut se mutuo constanter aspiciant, obcurus & illustris; magnus, & parvus; servus, & Dominus; dives, & inops: ut neque hic desperet, neque ille præfidat; & neque opulentus immoderate extollatur animò; neque sum despondeat inops. Exemplò suò Christus hanc doctrinam

tradidit; de quo Math. 5. 1. *Ascendit in montem; & cum sedisset &c.* Et Luc. 6. 17. *descendens stetit in loco compescti.* Quid est sedere? se humiliare? Ità Augustinus, Beda, Hugo. Sedere humilitatis est. Quid autem egit Dominus, postquam in humilem campum descendit? *stetit* in pedes erectus. Et quid stare significat? constantiam. Quem ergo benevolentior fortuna in prosperitatis montem educit, ut stet; sedeat meminere, quòd humiliari possit. Quem verò infelicitas in calamitatum vallum abjecit, in pedes se erigere, & stare debet. Didacus Niss. in Phoen. Græc. c. 4. In felicitatis monte nè avertas oculos à valle miseriæ, & in ima ærumnarum valle nè despera ascensum in altum. Id. ib.

Romani, quæ res maximas, & præclarè gestas, Fortunæ attribuunt, & eam esse deam maximam existimant; posuerunt eam in sterquilinò dignum deæ templum secessum tribuentes. Clemens Alex. or. ad Græcos.

Vide tit: Providentia Dei. Prosperitas.

